



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**In Evangelia: Qvæ Vsitato More in diebus Dominicis &
Festis proponuntur, Annotationes Philippi Melanth.**

Melanchthon, Philipp

Vuitebergæ, 1544

VD16 E 4532

Dominica Vigesima Tertia Post Trinitatis, Evangelivm Matthaei XXII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35272

POST TRINITATIS 113

Ecclesiasti. 28. multæ sententiæ docent. Abstînēs à lite, peccata minuet. Ideo autem toties in ueteri & nouo testamento hæc præcepta repetita sunt. quia in omni gubernatione maximos motus excitat cupiditas uindictæ, Vt in uersu etiam dictū est, Nam cætera regna, Luxuries uitij, odijsq; superbia uertit.

DOMINICA VICESIMA
TERTIA POST TRINI-
TATIS, EVANGELIUM
MATTHÆI XXII.

TVnc abeuntes Pharisæi, consilium inierunt, ut caperent eum in sermone. Et mittunt ei discipulos suos cū Herodianis, dicentes, Magister, scimus quia uerax es, & uiam Dei in ueritate doces, & non est tibi cura de aliquo. non enim respicis personam hominū. Dic ergo nobis, quid tibi uideatur, Licet census dare Cæsari, an nō? Cognita autem Iesus nequitia eorum, ait, Quid me tentatis Hypocritæ? Ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium. Et ait

DOMI. VICE. TERTIA

Et ait illis Iesus, Cuius est imago hæc
& superscriptio : Dicunt ei, Cæsaris:
Tunc ait illis, Reddite ergo quæ sunt
Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.
Et audientes mirati sunt, & relicto eo,
abierunt.

LOCI SVNT QVATVOR.

- I. De discrimine promissionum corporali-
um, & æternarum.
- II. De tempore aduentus Christi.
- III. De uero cultu Dei, & de regula, q̄ oportet
Deo magis obedire, quàm hominibus.
- IIII. De officijs corporalibus, quæ uel iure
petit potestas, uel ui extorquet.

DE I. LOCO.

Prodest sæpe commone fieri homines de di-
scrimine promissionũ, quia omnibus tempo-
ribus etiã magni homines lapsi sunt mala inter-
pretatione promissionũ corporalium. Cum Iere-
mias prædiceret templi & urbis excidiũ, argue-
bãt eum sacerdotes manifesti erroris, quia scrip-
tum est, Nõ auferetur sceptrũ de regno Iuda. Cũ
huic populo regnũ, et huius cultus cõseruationes

Deus

POST TRINITATIS. 114

Deus promississet, disputabant prædicationem Ieremie manifestè pugnare cū promissionibus clarissimis, nec paucos mouebant hi clamores. Dicitur & de filijs Ephraim, I. Paral. 7. longè ante Moysen inuasisse eos terram promissam, & interfectos esse, ij haud dubiè moti sunt promissione, & disputauerunt se debere fretos uoce diuinæ arma capere, & sua occupare, Deum non uelle, ut ociosi negligenter promissa. Quem non moueret tam speciosa ratio? Sic nos disputamus, Nunquā delebitur Ecclesia, ergo necesse est uinci Turcas, necesse est in his locis manere statum Ecclesiæ. Ita et in hoc casu Iudæi argumētabantur, Semini Abrahamæ est promissa libertas, ergo eam tueri debemus, & excutere Romanos.

Ad hoc argumentum explicandum, tenendum est discrimen mandatorum et promissionū. Item promissionum corporalium, & æternarum. De mandatis nihil dubium est, facienda esse quæ Deus præceperit. De promissionibus etiam uniuersaliter sciendum est, credendum esse promissioni, sed non præsumendum modū, aut tempus, nisi uoce Dei exprimat. ut credere debemus, nos resurrecturos esse, sed tempus & modum ignoramus. Postea necessarium discriminē est promissionum.

DOMI. VICE. TERTIA

missionum. Alia est reconciliationis & rerum
æternarum, quæ est propria Euangelij, & datur
gratis propter filium Dei. Estq; mandatum, ut
huic promissioni credamus, & iam accipiamus
reconciliationem fide, & omni tempore ad eam
redeamus. Iuxta illud, *Viuo ego, nolo mortem
peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat.*

Alie sunt promissiones corporalium bene-
ficiorum, quæ uel nominatim expressa sunt, uel
non nominatim expressa. Estq; tenenda regula
de omnibus promissionibus corporalibus, non ra-
piendas esse nostris consilijs, sine uocatione diui-
na. Addenda etiam conditio, Ecclesiam subiectâ
esse cruci. Sic & si Abrahæ promissa erat terra,
tamen nunquam eam occupauit. Ideo ad Ebraeos
dicitur, *Mortui sunt non accepta promissione,
expectantes æternam promissionem.* Item, patres
in Aegypto sciebant sibi promissam esse terram,
nec tamen occupabant, sed expectabant uocatio-
nem. Dauidi promissum est regnum, neq; tamen
rapuit uiuo Saul. Christus inquit, *Habebunt cen-
tuplum in hac uita: quod intellige non rapien-
dum humano consilio, sicut Anabaptistæ finge-
bant, se debere aliorum opes occupare, Sed intel-
lige, sicut Deus suo consilio dabit.* & Christus
ipse

POST TRINITATIS. 115

ipse addit interpretationem, cum tribulatione. Seruabitur Ecclesia, sed mirabiliter, etiam si interea uariè exercebitur.

Singularis est hæc sapientia Ecclesie, non rapere promissiones humano consilio. Item, discernere corporalia ab æternis, etiam cum corporales eripiuntur, tamen sciendum est non amitti æternas. ut cum David excussus erat ex regno, sciebat se debere obedientiam in pœna, sed tamē non esse abijciendam promissionem de remissione peccatorum, et uita æterna, hanc manere immotam propter promissum Dominum, Sicut dictum est, Iurauit Dominus, et non poenitebit eum. Saul amisso regno etiā abiecit promissionem de remissione peccatorum. Ut multi in calamitatibus, penitus abijciunt promissionem rerum æternarum, amissis corporalibus.

Sciendum est igitur omnibus promissionibus corporalibus inclusas esse condiciones duas, uidelicet, conditionem crucis, item conditionem pœnæ inobedientiæ, sicut promissiones legales pendent ex conditione obedientiæ. Promissa est populo libertas, sed ita, ut etiam exerceatur cruce, item ut puniantur etiam impij. Sic Ieremias respondebat suis aduersarijs, Promissum est populo

DOMI. VIGE. TERTIA

est populo regnum, ergo seruabitur. Concedit utrumque. Regnum promissum est, sed cum conditione, ut etiam puniantur impij, item, ne crux tollatur, Et seruabitur regnum, sed aliter quam iuxta humanas imaginationes. quia Ecclesia non regitur humanis consilijs, sicut scriptum est, Siue me nihil potestis facere. Et apud Ieremiam, capi. 10. Scio Domine, non est hominis uia eius, nec uiri est, ut ambulet & dirigat gressus suos, id est, Homo non habet omnes euentus in sua potestate, & ut peccata non intelligit omnia, ita nec poenas prospicit. & quia consilium Dei de afflictionibus Ecclesia non perspicit, ideo non potest omnes casus prospicere et regere. Multa accidunt aliter Iacob, Dauidi, et alijs, quam ipsi cogitauerant.

Est & aliud argumentum in hac causa agitatum, templum defendendum esse. Census erat templi. nam Romani didrachmum quotannis pendendum templo uiritim ad se transtulerant. Ergo Iudaei non debebant permittere, ut reditus templo adimeretur. Respondendum est ad maiorem. Templum defendendum est, scilicet, quod ad doctrinam & ueros cultus attinet, non quod ad pecuniam aut lapides attinet. Sicut Ieremias uoluit defendi & retinere doctrinam & ueros cultus, non uoluit

POST TRINITATIS. 116

uoluit defendi lapides aut pecuniã. Ita iam erep-
tio pecuniæ toleranda erat inter mala seruitutis,
sicut reliqua onera seruitutis. Simul autem debe-
bat populus agnoscere beneficiũ Dei in hac ipsa
seruitute, & tempus aduentus Messie. Magnum
beneficiũ Dei erat, quòd Romani nõ euerterãt
templum, non polluebant statuis, non deduxerant
eo colonias abducto populo. Hæc sæpe apud alias
gentes fiebant, & paulo post acciderunt in Iu-
deã post resurrectionem Christi. Prædictum au-
tem erat à Daniele mansuram ciuitatem, usq; ad
aduentum Messie. Has prædictiones ad seruitutẽ
conferre debebant, quia etiam prædictũ fuerat,
in quarta monarchia uenturum esse Messiam, cũ
populus amisisset regnum. Sed multitudo fasci-
nata erat stultis persuasionibus, & errore de re-
gia potentia Messie. Ideo nec uaticinia intellige-
bant, nec agnoscebãt Christũ. Ita impietas fasci-
nata proprijs delirijs discedit à uerbo Dei.

DE SECVNDO LOCO.

De tempore aduentus Christi.

Hæc ipsa seruitus, in qua tunc erant Iudæi,
sub quarta Monarchia, testimoniũ erat
aduentus Christi. Quia Iacob prædixit, regnũ Iudæ
mansurum

DOMI. VIGE. TERTIA

mansurum esse, usque ad aduentum Christi. iuxta illud, Non auferetur sceptrum de tribu Iuda, donec ueniat Messias. Iam autem pars Iudæe reducta erat in formam prouinciæ. Galilea habebat regem Herodem Idumæum. Et prædixerat Daniel annos, qui iam decurrerebāt ad finē. Hec collecta, pijs erant certa testimonia aduentus Messie. Ideo hunc concionatorem, qui resuscitabat mortuos, & repurgabat doctrinam, & cui Iohannes dederat testimonium, agnoscebant esse Messiam. Sed impij fascinati opinione de regno mundano, nolebant eum agnoscere. Cæterum nobis utile est cogitare testimonia, quòd uenerit Messias. Prophetæ clarè prædicunt uenturum esse durante politia Iudaica. Nunc funditus deleta iacet, diutius quam stetit. necesse est igitur uenisse filium Dei.

DE TERTIO LOCO.

Date Deo, quæ Dei sunt.

Hæc est præcipua responsio in hac disputatione, & explicat obiecta argumēta. Pharisæi disputabant templo dandam esse hæc pecuniã, nõ Casari. Respondet Christus, Date Deo quæ sunt Dei, id est, uerã doctrinam, & ueros cultus.
hæc

POST TRINITATIS. 117

hæc non sunt cedenda ulli creaturæ. Vt tres uiri
in Babylone sinebant sibi eripi res & corpora,
sed ueram doctrinam et uerum cultum non sine-
bant sibi eripi. Vos econtra de pecunia disputa-
tis, ueram doctrinam & ueros cultus ipsi abijci-
tis, Euangelio aduersamini, cum ualatis traditio-
nes, & aucupia quæstus, fingitis falsa dogmata,
sectamini Saducæos & Phariseos. Quare dilige-
ter hoc loco discrimen consideretur rerum, quas
cedere alijs possumus, & quas non licet cedere.
De doctrina & de uero cultu non est cedendum.
sed uitam & fortunas rapientibus aduersarijs
relinquamus, præsertim si nemo nos defendat. Si-
cut in multis dictis Euāgelij docemur. Matth. 10.
Qui me confessus fuerit &c.

DE QVARTO.

Date Cæsari, quæ sunt Cæsaris.

Duplicia sunt tributa. Quædam iuste im-
posita, Quia Deus, qui est autor politici
ordinis, uult esse gubernatores, & uult conferri
pecuniam ad communem defensionem, uult etiã
magistratibus & militibus dari stipendia. ideo
mediocria & tolerabilia tributa iuste petuntur.
Et Ioannes ea approbat, inquit, Estote contenti
stipendijs

DOMI. VIGE. TERTIA

stipendijs uestris. Sed idem præcipit militibus, ut sint contenti, non supra mediocra tributa rapiant ex populi facultatibus, quantum ipsis libet. Et ut Deus est autor politici ordinis, ita ipse sua uoce, Nō furtū facies, discernit singulorū facultates, teneant suum gubernatores, teneant et ciues proprias facultates, ne conturbet hoc discrimen rapacitas gubernatorum. Puniiuit Deus Achab eripientem ciui Naboth fundū, ita puniet cæteros, qui iniustas expilationes indicunt.

Dixi quædam esse tributa iuste imposita, quæ iustissimum est etiam pendere quia singuli, pro communi defensione, non solum fortunas, sed etiam corpora nostra, conferre debemus, sicut Iohannes inquit, Sicut ipse animam suam pro nobis posuit, sic unusquisque pro fratre suo animam ponere debet. Dixi etiam quædam immodica tributa iniuste indici. Quid igitur facient subditi de iniustis expilationibus? Respondeo, Omnes difficultates gubernatiōis sunt pœnæ nostrorum peccatorum, sicut Salomon dixit, Propter peccata populi mutantur principatus. Quanquā igitur actio iniusta est, et expilatores punientur, tamen passio est iusta, id est, nos sentiamus nos iusto iudicio Dei puniri, sicut Daniel inquit, Tibi Domine

POST TRINITATIS. 118

Domine iusticia, iuste punimur, & agnitam poenam feramus, soluamus tributa, etiam iniuste imposita, sicut reliqua seruitus, quæ multiplex est, toleranda est, & agamus poenitentiam, ut Deus mitiget publicas calamitates. Sic Christus uolebat Iudeos cogitare omnia tempora suæ politiæ. Tempore Davidis & Salomonis magna gloria huius populi fuit, postea seruitus creuit. Semper autem calamitates illæ fuerunt poenæ peccatorum, & Deus rursus liberauit reliquias populi, agentes poenitentiam, & mirabiliter seruauit in tanta seruitute cultum & templum. Ita tunc quoque uolebat eos seruitute admoneri, ut cogitarent de poenitentia, et ferrent interim calamitatem, ac à Deo liberationem expectarent, quasi diceret, Date Cæsari, feratis onus & seruitutem corporalem, quia uestris consilijs & uiribus non potestis excutere, Sed si reliquiæ agent poenitentiam, liberabuntur diuinitus.

Vt autem Ecclesia ultimo tempore populi Iudaici in quadam acerba et tristi seruitute fuit, Prolomæus Lathurus trucidata magna multitudine Iudeorum, iusserat disseccari corpora mulierum & puerorum, & dissecta membra coqui, et his uesci Iudeos coegerat. Tantis calamitatibus

• 4 • illa

DOMI. VIGE. TERTIA

illa extrema etas fuit obnoxia. Ita sciamus nunc extremo mundi tempore Ecclesiam in seruitute fore, uel sub Turcis, uel sub alijs regibus & principibus, & habituram exiguam defensionem. Ideo discamus ferre difficultates politiarum, & agamus poenitentiam, ut Deus eas mitiget. Interim tamen suum quisque officium diligenter et prudenter faciat, ut retineamus Ecclesias, quas Deus mirabiliter seruabit, etiamsi in tantis regnorum mutationibus quassabuntur. Oremus etiam Deum, ut ipse regnorum mutationes mitiget.

DOMINICA VIGESIMA QUARTA POST TRINI- TATIS EVANGELIUM MATTHAEI IX.

Hæc cum illis loqueretur, ecce Primas quidam uenit, & adorauit eum, dicens, Filia mea modo defuncta est, sed ueni, & impone manum tuam super illam, ac uiuet. Et surgens Iesus, sequutus est eum, ac discipuli illius. Et ecce mulier, quæ sanguinis profluuio laborauerat duodecim annos, accedens a tergo, tetigit fimbriam uestimenti illius. Dixerat enim